



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen  
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,  
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

**Brasavola, Antonio Musa**

**Venetiis, MDLI**

Vnguentum Aegyptiacum XXI

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70720)



in hoc unguento ostendisti. BRAS. Propterea aliud unguenti genus in examen adducito.

## S E N E X. XXI.

In meo illo inordinato ordine, unguentum Aegyptiacū uocatum sequitur. BRAS. Cur Aegyptiacum uocatur? SE. Ignoro nisi in Aegypto sit inuētū, aut ipsius inuentor Aegyptius fuerit, à Mesue illud accipio. BRAS. Compositionem referas. SE. En refero.

Recipe floris æris aur. V.

Mellis aur. XIII.

Aceti fortis aur. VII.

Et sunt q̄ addūt ei olibani masculi triti aur. II. et semissē. Miscantur omnia, & coquantur ad ignem donec spissescant. SEN. Cur à Mesue magnum appellatur? BRAS. Non quidem ad differentiam parui, quia nullum paruum adest aegyptiacum unguētum, sed ob uires suas magnas, ita (ut arbitror) uocatur, & adeo egregie uires suas imprimi, ut à nonnullis uulnerarijs medicis caccia riso sit uocatus, quoniam cum supra ulcus ponitur, adeo infestat ut is ridendi cupiditate careat. SE. Ad quæ ualet. BRAS. Mirum immodum ulcera sordida, & antiqua, & quæ fistulosa sunt emundat, & si in ipsis adsit demortua caro, illam probam à putredine liberat, nam et saniem exiccat. si oleum addatur, & cruda sit æris ærugo, est coloris uiridis, & non adeo clemēs ut cum excoquitur, nam tunc uiridis color in rubrum trāst, hoc ex coctura habetur. SE. Ergo hoc unguentum est mitius cum erudum erit? BRAS. Immo coctū mitius est, nam crudum plus recipit æruginis, & nō est  
ab igne



BRASAVOLI

ab igne macerata. SE. Reperitur ne apud antiquos  
eiusmodi compositio? BRAS. Apud arabes inueni-  
tur, nã Rasis in calce capitis Diuisionum eandem refert  
cõpositionem, quæ solũ differt quò ad pòdera. SE. Cur  
uocatur unguentum de melle? BRAS. Quoniam mel  
in maxima recipit copia, & multi sunt qui decipiuntur  
mellis aur. XIII. accipiētes, cum antiquæ cõpositiones  
XIII. habeant, & ita apud Mesuẽ scriptum est. quan-  
quam & Ferraria, & Venetijs, et Patauij, et Bononiæ  
& breuibus in tota ferè Italia sint pharmacopola: qui  
compositionem in ponderibus euariant, nam aliqui ita  
conficiunt.

Recipe floris æris unc. II.

Mellis unc. XII.

Aceti fortissimi unc. III.

Misce, & bulliant ad spissitudinem mellis.

Alij mellis loco rosaceum mel accipiunt, quod improbi-  
dum non est. Alij ita conficiunt,

Recipe uiridis æris unc. VII. & semis.

Mellis lib. I. unc. IX.

Aceti fortissimi unc. X. & semis.

Misce, & simul bulliant ad perfectam cocturam. Alij  
ita parant.

Recipe mellis lib. I. unc. V.

Floris æris unc. V.

Aceti unc. VI.

Misce, & bulliant ad spissitudinẽ mellis. SE. Hi Me-  
sue intentionem non attingunt, quã præcedentes potius  
attingebant. at illud scire pcuperem, num apud Galenũ  
uel Paulum, uel Aetium eiusmodi inueniat cõpositio.

BRAS.



BRAS. Eadem præcise non inuenitur quod sciuerim, tamen multa mellina describit Galenus in secundo de Compositione medicamentorum per genera, quæ ustam æruginem recipiunt, & quæ huius ægyptiaci unguenti colorem nacta sunt. nō enim mellina dicuntur, quia mel recipiāt, sed à colore quem habent. præterea propè finem tertij libri de Compositione medicamentorum per genera medicamenta referuntur, quæ ægyptia uocantur, unum Andromachi, alterum Claudij Philoxeni chirurgi, & deniq; in eiusdem libri calce ægyptiacum aliud scriptum est, sed nihil habent cum hoc nostro commune. reperitur etiam aliud unguentum de melle apud nonnullos pharmacopolas. SEN. Quod nam est?

BRAS. Hoc quod sequitur à Rasi sumptum in septimo ad Almansorem, ubi de Carbunculis agit.

Recipe sarcocollæ } Singul. partes æquales.  
Mellis }

Deinde sarcocolla puluerizata cum melle misceatur, et recondatur. SE. Ego potius arbitrarer uocandū esse unguentum de sarcocolla. BRAS. Quomodo lubet uocato, cum apud nos in usu non sit, nostrum uero ægyptiacum ex Galeno colligi posset in secundo de Compositione medicamentorum per genera, ubi de Viridibus agit emplastris, quanquam istud uiride non sit, nonnulli ipsius umbram accipiunt ex 3<sup>o</sup> Methodi medendi libro.

S E N E X. XXII.

Vnguentum Expertum in examen uenit. BRASA.

Quomodo illud conficis. SE. Hoc modo.

Recipe olei rosacei lib. I.

℞ Pulueris